

ris et locis prædictis, in quibus superioritatem quamlibet exercent, morantibus, districte præcipiendo mandamus, ut infra sex dies, post dictos primos XXIIII dies immediate sequentes, exeant de civitatibus, terris et locis ipsis in quibus degunt, ad loca ipsa minime reversuri, donec dicti veneti nostris monitionibus et mandatis obtemperaverint et meruerint interdicti prædicti relaxationem obtinere. Et si quis de prædictis contrafecerit, si episcopi et superiores interdicti ingressus ecclesiæ, si vero inferiores ab eisdem fuerint, excommunicationis sententiam incurvant ipso facto, a qua absolvı non possint ab alio quam a romano pontifice, nisi in mortis articulo constituti; et præter hujusmodi interdictum et excommunicationis sententiam, episcopi et superiores ac monasteriorum abbates, commendatarii et alii administratores regimini et administratione ecclesiarum et monasteriorum eorumdem, reliqui ab eis omnium et singulorum beneficiorum, dignitatum, personatum, administrationum et officiorum, canonicatum et præbendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, quæ tunc obtinebunt, et graduum ad quos promoti forent, privationis poenam, sine ulla spe restitutionis ad ea incurvant. Similiter eo ipso de quibus possit et debeat per sedem apostolicam et ab illa facultatem habentes apostolica auctoritate, dumtaxat absque alia declaratione in cursus poenæ hujusmodi illico libere provideri, concedimus tamen, quod in cathedralibus et aliis collegiatis et non collegiatis ecclesiis et domibus prædicatorum et minorum ac aliorum religiosorum et sacerdotalium duo, tres, quatuor, quinque vel sex pro custodia, secundum magnitudinem et parvitatem ipsarum ecclesiarum vel dormorum, conversi et illiterati, vel clerici in minoribus ordinibus constituti, et in ecclesiis parochialibus pro ministrando baptismate parvolorum in præsentia morientium et aliis sacramentiis ecclesiasticis, quæ ministrantur tempore interdicti, earum rectores, seu alii curæ animarum præpositi, ibidem licite valeant remanere; ecclesiis autem et monasteriis, domibus et locis ecclesiasticis, in quibus, interdicto hujusmodi durante, missæ et alia divina officia fuerint celebrata contra interdictum hujusmodi, et quorum personæ contra mandatum nostrum in illis remanere præsumperint, omnes gratias, omnia privilegia et indulgentia adimimus, ita ut eis in posterum nullatenus suffragentur. Ad reprimendum præterea eorumdem venetorum inobedientia et aliena rapiendi et tenendi insatiabilitatem, cupiditatem et temerarios conatus, universis et singulis ducibus, marchionibus, communitatibus, baronibus, domicellis, feudatariis, vica-

riis et vasallis ac aliis quibuscumque in temporalibus præfatae Ecclesiæ mediate vel immediate quomodolibet subjectis et non subjectis, districte præcipimus et mandamus, ne ad stipendia eorumdem ducis, consilii et communis Venetiarum, aut eis faventium, militare, aut eorum stipendia capere, seu ad stipendia hujusmodi vel alias cum eis se vel suos armigeros ac sequaces locare eisque aliquod auxilium, consilium vel favorem quomodocumque præstare audeant; quin immo, si qui cum eisdem ad præsens militant, quoniam in omni obligatione excepta semper intelligitur, reverentia et obedientia romani pontificis, non obstante quacumque obligationis formula, qua obligati forent, que quatenus contra romanam Ecclesiæ militare promisissent, non astringat eosdem, cum nullius est roboris vel momenti, infra XXIIII dies a publicatione præsentium computandos, ad ipsis, duce, consilio et communi Venetiarum eorumque obsequiis et stipendiis omnino recedant, et in omnes et singulos ex eis, qui contra mandatum hujusmodi facere vel venire temptaverint, quoquo modo per se vel alios, directe vel indirecte, similis excommunicationis, anathematis, maledictionis et privationis ac inhabilitationis, nec non in terras, dominia et loca eorum, si qua tunc eos habere et obtinere contigerit, interdicti et in eos eorumque descendentes privationis, dignitatum, dominiorum, feudorum et honorum ac privilegiorum, gratiarum et beneficiorum ecclesiasticorum ac inhabilitationis dominiorum et bonorum confiscationis, sententias, censuras et poenas prædictas ex nunc prout ex tunc promulgamus, eosque illos incurrire volumus eo ipso, quæ similiter per alium quam romanum pontificem, præterquam in mortis articulo, ut de aliis superius est expressum, nequeant submoveri. Inhibemus etiam quibuscumque temporale dominium obtinentibus etiam regali, ducali, principatus, marchionatus, comitatus et baroniae vel alia dignitate fungentibus, sub similibus censuris et poenis per eos si contraferint eo ipso incurrendis, ne cum eisdem duce, consilio et commune Venetiarum, directe vel indirecte, ad impediendam recuperationem civitatum, terrarum et locorum nostrorum, vel ad defensionem seu auxilium eorumdem, se nobis vel pro eadem romana Ecclesia agentibus, aut monitionem belli opponant in prejudicium dictæ romanæ Ecclesiæ, tendentis ligam, confœderationem seu colligationem, vel intelligentiam ineant, aut haec tenus forsitan initas, factas et conclusas, quæ quatenus ad prejudicium prædictæ Ecclesiæ tendant, etiam si poenarum adjectione jumentoque sint vallatae, illarum tenores, ac si insere-